

terrenus à terra: ita secundus cœlestis incipiat esse ex cœlo: nec dicit jam cuius circumcisio est natura patrem, præter eum qui in cœlis est, se habere: sed præcepto Domini lucido, illuminatis oculis, sedere ad dextram virtutis filium hominis agnosceret. Obterendæ sunt omnes animi voluptates, relinquenda studia delæctationum, quoniam hic circumcisio est veritas, non figura. Nitendum in summa, ut cunctis naturalibus amputatis, conversatio nostra tendat ad cœlum ubi Christus est ad dexteram Dei. Quod ita verum erit, si ludi, si jocus, si convivium, si sermo pene familiarium deferantur: & tamen qui circumclicantur arefcunt, ut non nos mundo qui vitæ imagines sumus, sed mundus nobis mortuus esse credatur: nec adglutinari eorum aliqua quæ circumcisio sunt inimici arte sinantur: sed clamemus, sedit sanguis circumcisio: ut cum in nobis vitæ calculus cœperit operari, in quo nomen novum solus novit ille, qui accepit, non timeamus in loco revelationis occidi: quinimo & imputantes aliqua nostro Domino per amorem: nam & operarius ibi benignus admittitur: ut superius in beato Petro novæ gratiæ susceptore didicimus: tota credulitatis nostræ harmonia intortis vehementius per artem fidibus resiletemus: Propter verba laborum tuorum Domine ego custodivi vias duras. Anne est aliquid tam durum, tam ferreum quam repugnare naturæ? Et cum omnia in mundo per Deum nobis sint facta, ipsos nos velut non nostra circumstant repellere non videre: mundumque ipsum nobis se cum omnibus divitiis & pulchritudinibus suis ingerentem manu quadam repudiare virtutis: obferatque omnibus sensibus quibus ad animam substantia vitalis accedit, pene ad imaginem obrigescere mortuorum: Non visu, non auditu, non odore, non tactu, non sapore capi: Et in natura corporis naturam corpoream non habere, hominemque se quod homo sit oblitisci: eum tamen hoc ipso quod ambiat non teneri, quia vere quod homo sit teneat, & eo magis despiciat se, quo se magis agnoverit. Tum quia durum est præsentia sibi abdicare dum vivit: & futura sperare post vitam. Hæc natura corporis, hoc, ut diximus, nisi circumcisio non patitur: facileque se gestit jactare in suis, sibi cernens terras, sibi maria, sibi videns solem & universa cœli astra fervire: & quando se fraudari à terrestribus patitur, cum dominetur & cœlo? Tantorum ergo elementorum tam importuno circumventa famulatu, usque ad oblivionem suæ conditionis inducitur: & in despectu totius sublimata mundi, vincere ipsa ex eo quod sibi obsequuntur præsumit elementa: hinc montes scrobibus fodiendo, hinc valles substructionibus opplendo, hinc maria molibus arando, nunc arida irriguis fecundando, nunc stagna paludeseque siccando, vel campos confitis nemoribus vestiendo, ac fylvosorum montium juga, vetulis nemoribus denudando, ut pene Dominam se naturæ esse non credat, si fecerit aliter. Cujus naturæ concussione, natura nostra his meditationibus agitur, durum est vias Domini custodire, in quibus non experimentis, sed detrimentis potentia defudatur: nec queritur ut supra nos quod amat universa mortalitas, sed ut sub nos vita ducatur: ne amplius nos existimando quam sumus, incipiamus nec id obtinere quod sumus, cum per hoc ipsum si velimus despiciere quod sumus, mereamur in melius esse quam sumus, dicente Domino, & nostræ illi imputationi quam præsumimus subscribente: Amen dico vobis, nemo est qui relinquat domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios propter regnum Dei, qui non recipiat centuplum in tempore hoc, & in sæculo venturo vitam æternam hæreditabit. Et talibus promissionibus vitæ illæ duræ, quas ob verbum Domini custodire necesse est, molliuntur. In quarum custodia utique multa retributio est. His mercedibus invitatur quos oportebat & cogi, dum velle nos ambat quod poterat & jubere. Denique cum verbum vitæ durum dicerent esse sermonem, & ob hoc turbati omnes qui eum sequebantur abscederent: respiciens discipulos suos: nunquidnam & ipsi abire vellent, inquit iratus: adeo eligit potius se nobis bona omnia debere, si volumus, quam imperare si coginur, dicente Apostolo: Si enim volens hoc ago, mercedem accipio: si autem invitatus, dispensatio mihi credita est. Hæc voluntas femoralis illius vagina cultelli est: quæ ubi in se amorem Dei, quem cultellum esse diximus, receperit, merebitur intelligere Dominum vera prædicasse: Jugum enim meum suave est, & sarcina mea levis est: quoniam superfluis omnibus amputatis, & cunctis oneribus circumcisio, bellæ quadam sarcinalis imagine tenuata: vere

etiam nos cum Psalmista dicimus, qui vel per glaciem, vel per liquidam etiam mollemque substantiam angustum illud acus foramen transire possumus, quod introire qui in equis sperant & curibus, non valebunt, quoniam tales etiam via illa quæ lata est, & spatiosa vix capiet. Laborum itaque arduos montes & difficultatum propemodum muros, quibus cœlestia ab humanis velut provinciæ cujusdam limitibus separantur, divina invitatrix munificentia liberalitateque deplanat. Et sicut tubis sacerdotalibus muros illius Jericho: ita prophetarum vocibus turri nostri interitus elidit, si modo contra spem in spe credentes, & quodam concitato lumini, videndi saliente transpectu, in fraudem præsentium caducorum promissa tanquam manibus jam apprehensa miremur: & hac circumcisio natura in aliamque naturam transpositi, mente illa & animo teneamus, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Dominus iis qui diligunt eum: de quorum numero non est, nisi qui per demonstratam superius circumcisio velut cum Domino confixus in cruce, semper peccatis suis passione est dignus. Ille vero Dominum nostrum dignum tali passione non credens dixerit: Domine memor esto mei cum veneris in regnum tuum. Quem, dum adhuc loquitur, ipse Dominus promptus interpellantis auditor consolari, ut consuevit, pro sua pietate dignabitur dicendo: Forti animo esto: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.

CENSURA EPISTOLÆ SEQUENTIS.

Hanc Epistolam non esse Hieronymi, etiam si parum argueret stylus: ex hoc certe poterat intelligi, quod is qui scripsit, non semel restatur, se Græci & Hebræi sermonis ignarum. Exstat autem inter Epistolas Augustini, suo titulo prænotata. Stylus quoque cum titulo consensit.

DE CELEBRATIONE PASCHÆ.

LECTIS literis tuis, ubi me commonuisti, ut debitum redderem de residuis enodandis questionibus, quas jam longe ante quæstas: gratissimum mihi atque charissimum desiderium studii tui amplius (differri) tolerare non potui. Et quamvis in mediis acervis occupationum mearum hanc feci præcipuam: ut ad ea quæ me interrogasti, tibi responderem. Diutius autem de tua Epistola disputare nolo, ne hoc ipsum me impediatur tandem reddere quod debeo. Quæris quæ causa sit, cur anniversarius dies celebrandæ dominicæ passionis, non ad eundem redeat anni diem, sicut dies quæ traditur natus. Et deinde subjungis, si hoc sit propter sabbatum & lunam, quid sibi velit in hac re observatio sabbati & lunæ. Hic primum oportet ut noveris diem natalem Domini non in sacramento celebrari: sed tantum in memoriam revocari, quod natus sit: ac per hoc nihil opus erit, nisi revolutum diem anni, quo ipsa res acta est festa devotione signari. Sacramentum est autem in alia celebratione, cum rei gestæ ita rememoratio fit, ut aliquod etiam significari intelligatur: quod sancte accipiendum est. Eo itaque modo agimus pascha, ut non id solum quod factum est in memoriam revocemus, id est, quod mortuus est Christus & surrexit: sed etiam ut cætera, quæ Evangelium attestatur, ad sacramentum significationem non omitamus: Quia enim, sicut dicit Apostolus: Mortuus est propter delicta nostra: & surrexit propter justificationem nostram. Transitus quidem de morte ad vitam in illa passione Domini & resurrectione factus est. Nam etiam vocabulum ipsum quod pascha dicitur, non Græcum sicut vulgo videri solet, sed Hebræum esse dicunt, qui linguam utramque noverunt. Neque enim à passione (quoniam *pascha* Græcè, Latine dicitur pati) sed ab eo quod transitur, ut dixi, de morte ad vitam, Hebræo verbo res appellata est. In quo eloquio pascha transitus dicitur, sicut perhibent qui hoc sciunt. Quod voluit & ipse Dominus tangere, cum ait: Qui credit in me, transiet de morte in vitam: & maxime idem Evangelista hoc intelligitur exprimeret voluisse, cum celebrato Domino pascha cum discipulis, ubi cenam eis mysticam dedit: Cum vidisset, inquit, Jesus quia venit ejus hora, ut transiret de morte, seu de hoc mundo, ad patrem. Transitus ergo de hac vita

mortali in aliam vitam immortalem (hoc est enim in morte ad vitam) in passione & resurrectione Domini commendatur. Hic transitus à nobis modo agitur per fidem, quæ nobis est in remissionem peccatorum, in spem vitæ æternæ diligentibus Deum & proximum, quia fides per dilectionem operatur. Et justus ex fide vivit. Spes autem que videtur, non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus, secundum hanc fidem, & spem & dilectionem qua cœpimus esse sub gratia: jam commortui sumus cum Christo, & conscripti illi per baptismum (in morte) sicut dicit Apostolus: Quia & vetus homo noster simul confixus est cruci cum illo: & resurreximus cum illo, quia & simul nos excitavit, & simul sedere fecit in cœlestibus. Unde est & illa exhortatio: Si autem resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt querite, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens: Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Sed quod sequitur & dicit: Mortui enim estis, & vitæ vestra abscondita est in Christo in Deo: cum Christo apparuerit vitæ vestra, tunc & vos cum illo apparebitis in gloria: satis indicat quid velit intelligi, quia tunc transitus noster de morte ad vitam, qui fit per fidem, in spe peragitur futuræ in fine resurrectionis & gloriæ: cum corruptibile hoc, id est, caro ista, in qua gemimus modo, induet incorruptionem, & mortale hoc induet immortalitatem. Nos enim jam quidem habemus per fidem primitias spiritus, sed adhuc in nobismetipsis ingemiscimus, adoptionem expectantes, redemptionem corporis nostri. Spe enim salvi facti sumus. In hac spe cum sumus, corpus quidem mortuum est propter peccatum: spiritus autem vitæ est propter justitiam. Sed vide quod sequitur: Si autem spiritus ejus, inquit, qui suscitavit Christum Jesum à mortuis, habitat in vobis: qui suscitavit Christum a mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra per inhabitantem spiritum ejus in vobis. Hoc igitur Ecclesia universa que in peregrinatione mortalitatis inventa est, expectat in fine sæculi, quod in Domini nostri Jesu Christi corpore præmonstratum est, qui est primogenitus à mortuis, quia corpus ejus, cujus caput est ipse, non nisi Ecclesia est. Nonnulli etiam attendentes verba que continet dicit Apostolus: Quia & mortui sumus cum Christo, & resurreximus cum eo: nec intelligentes quatenus dicantur: arbitrati sunt jam factam esse resurrectionem, nec ullam ulterius in fine temporum esse sperandam. Ex quibus est, inquit, Hymeneus & Philetus, qui circa veritatem aberraverunt, dicentes resurrectionem jam factam esse, & fidem quorundam subverterunt. Idem Apostolus eos arguens detestatur: qui tamen dicit nos resurrexisse cum Christo. Unde, nisi quia hoc per fidem, & spem, & dilectionem factum esse dicit in nobis, secundum primitias spiritus? Sed quia spes quæ videtur non est spes: & ideo si quod non videmus speramus, per patientiam expectamus, restat utique redemptio corporis nostri, quam expectantes in nobismetipsis ingemiscimus. Unde est illud: Spe gaudentes, in tribulatione patientes. Hæc igitur innovatio vitæ nostræ, est quidam transitus à morte ad vitam: Qui fit primo per fidem, ut in spe gaudeamus, & in tribulatione patientes simus, dum adhuc exterior noster homo corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem propter initium novæ vitæ, propter novum hominem, quem jubemur induere & exuere veterem, expurgantes veterem fermentum, ut simus nova conspersio, quoniam pascha nostrum immolatus est Christus. Propter hanc ergo vitæ novitatem, primus mensis in anni mensibus celebrationi huic attributus est. Nam & ipse dicitur mensis novorum. Quia vero in toto tempore sæculi, nunc tertium tempus apparuit: ideo resurrectio Domini tridua est. Primum enim tempus est ante legem: secundum sub lege: tertium sub gratia: ubi jam manifestatio est sacramenti prius occulti in prophetico anigmate. Hoc ergo & in lunari numero significatur. Quia enim septenarius numerus solet in scripturis ad quandam perfectionem mysticis apparere, tertia hebdomada lunæ pascha celebratur, id est, qui dies occurrerit à quarta decima in vigesima primam. Est illic & aliud sacramentum, quod si tibi obscurum fuerit, quia in talibus inquisitionibus minus eruditus es, non contristeris. Nec ideo me putes esse meliorem, quia in studiis hæc puerilibus didici. Qui enim gloriatur, in eo gloriatur, inquit, scire, & intelligere, quia ego sum Dominus. Nonnulli ergo studiosi talium rerum quæsierunt multum de motibus & nu-

meris siderum. Et qui subtilius scrutati sunt ista, incrementa & decrementsa lunaria, ex conversione globi ejus conjecerunt. Non quod aliquid substantiæ vel accedat ei cum augetur, vel decedat cum minuitur. Quod deliramentum imperiti Manichæi opinantes, repleti eam dixerunt, sicut repletur navis ex fugitiva diei parte: quam commistam principibus tenebrarum, & horum sordibus inquinatam, corde & ore sacrilego, & credere, & loqui non dubitant. Hinc ergo impleri lunam dicunt, cum magna pars diei magnis laboribus ab inquinamento purgata, de toto mundo atque omnibus cloacis fugiens redditur Deo lugenti dum redeat: Repleti vero per mensem dimidium, & alio dimidio in solem refundi velut in aliam navem. Nec tamen inter illas anathematizandas blasphemias, aliquid unquam fingere poterunt, cur vel incipiens luere, vel desinens, corniculato lumine fulgeat: aut cur à dimidio mense incipiat minui: & non ad refundendum plena perveniat. Illi ergo qui hæc certis numeris indagant: ita ut & defectus solis & lunæ, non solum cur fierent, sed etiam quando futuri essent longe ante prædicarent, & eos determinatis intervallis temporum, canonica supputatione præfigerent, literisque mandarent, quas modo qui legunt atque intelligunt, nihilominus eos prædicunt, nec aliter aut alias accidunt quam prædicunt. Tales ergo (quibus non est ignoscendum, sicut scriptura sancta dicit: Quia cum tantum valerent scire ut possent æstimare factum, quomodo Dominum ejus supplicii pietate non facilius invenerunt) ex ipsis cornibus lunæ, quæ à sole averfa sunt, sive crescentis, sive decrecentis: conjecerunt eam vel à sole illustrari, & quanto magis ab eo recederet, tanto magis ab ea parte quæ terris apparet, radios ejus excipere: quanto autem ad eum magis post dimidium mensem ex alio semicirculo propinquaret, tanto magis à superiori parte illustrata, ab ea parte quam terris averteret, non posse excipere radios: & propterea videri decretere: vel si haberet suum lumen, illud haberet ex una parte in hemisphærio, quam partem cum recedens à sole paulatim terris ostenderet, quasi augmenta monstrare dum non addatur quod deerat, sed perdat quod inerat, ac rursum paulatim abscondere quod patebat, & ideo videri decretere. Sed quodlibet horum duorum sit: illud certe manifestum est, & cuius advertenti facile cognitu, quod luna non augeatur ad oculos nostros, nisi à sole recedendo: neque minuat, nisi ad solem ex parte alia appropinquando. Attende nunc quod in Proverbiis legitur: Sapiens sicut sol permanet, stultus autem sicut luna mutatur. Et quis est sapiens qui permanet, nisi sol ille justitiæ, de quo dicitur: Ortus est mihi sol justitiæ: & quem sibi non fuisse ortum, in die novissima, plangentes impii dicuntur: Et justitiæ lumen non luxit nobis, & sol non est ortus nobis? Nam istum carnis oculis visibilem solem facit oriri super bonos & malos Deus: qui etiam pluit super justos & injustos. Ducuntur autem semper ex rebus visibilibus invisibilem congruæ similitudines. Quis ergo est ille stultus qui tanquam luna mutatur: nisi Adam in quo omnes peccaverunt? Anima quippe humana recedens à sole justitiæ, ab illa scilicet interna contemplatione incommutabilis veritatis omnes vires suas in terrena convertit, & eo magis magisque obscuratur in interioribus ac superioribus suis: sed cum redire cœperit ad illam incommutabilem sapientiam, quanto magis ei propinquat affectu pietatis, tanto magis exterior homo corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem: omnisque lux illa ingenii, quæ ad inferiora vergebat, ad superiora convertitur & à terrenis quodammodo aufertur, ut magis magisque huic sæculo moriatur, & vitæ ejus abscondatur cum Christo in Deo. Mutatur ergo in deterius ad exteriora progrediens, & in vitæ sua projectione intima sua: & hoc terræ, id est, eis qui terrena sapiunt melius videtur, cum laudatur peccator in desideris animæ suæ: & qui inique gerit benedicitur. Mutatur autem in melius, cum intentionem suam & gloriam à terrenis, quæ in hoc sæculo apparent, paulatim avertit: & ad superiora interiora convertit: & hoc terræ, id est, eis qui terrena sapiunt melius videtur. Unde illi impii postremam infructuosam agentes penitentiam, etiam hoc sunt inter multa dicturi: Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem impropieri: Nos infensati vitam eorum æstimabamus infantiam. Ac per hoc Spiritus sanctus de visibilibus ad invisibilia, & de corporalibus ad spiritualia sacramenta similitudinem docens: transf-

tum illum de alia vita in aliam vitam quod pascha vocatur, à quarta decima luna voluit observari: ut non solum propter tempus tertium quod supra memoravi, quia inde incipit hebdomada tertia: sed etiam propter ipsam tertiam conversionem, ab exterioribus ad interiora lune similitudo assumetur: usque ad vicissimam vero & primam, propter ipsum numerum septenarium, quo universitatis signatio saepe figuratur, qui etiam ipsi Ecclesie tribuitur propter instar universitatis: ideo Joannes Apostolus in Apocalypsi ad septem scribit Ecclesias. Ecclesia vero adhuc in ista mortalitate carnis constituta, propter ipsam mutabilitatem lune novæ appellatione in scripturis significatur. Unde est illud: Paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittarent in obscura luna rectos corde. Prius enim quam fiat illud, quod dicit Apostolus: Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos cum illo apparebitis in gloria: obscurabitur Ecclesia in tempore peregrinationis sue, inter multas iniquitates gemens, & tunc sunt timendæ insidiæ fallacium seductorum, quas nomine sagittarum intelligi voluit. Unde alio loco propter nuncios fidelissimos veritatis, quos ubique parit Ecclesia, dicitur: Luna testis fidelis in celo. Et cum de regno Domini Psalmista caneret: Orietur, inquit, in diebus illis iustitia & abundantia pacis, quousque interficiatur luna: id est, abundantia pacis intantum crescet, donec omnem mutabilitatem mortalitatis absumat. Tunc novissima inimica destruetur mors, & quicquid nobis resistit ex infirmitate carnis. Unde nobis perfecta pax nondum est: Consumetur omnino, dum corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem. Unde & illius civitatis muri quæ Jericho appellatur, quod in Hebræo eloquio luna interpretari dicitur, septimo circuito testamenti arcæ corruerunt. Quid enim nunc aliud agit annuntiatio regni celorum, quam circuitio arcæ significavit, nisi ut omnia munimenta mortalitatis vite, id est, omnis spes hujus sæculi, quæ resistit spei futuri sæculi, in dono septenario Spiritus sancti per liberum arbitrium destruat? Ob hoc enim circumventæ arcæ non impulsu violento illi muri, sed sponte ceciderunt. Sunt & alia testimonia scripturarum, quæ nobis ingerunt per commemorationem lune Ecclesie significationem, quæ in ista mortalitate ab illa Jerusalem, cujus cives sunt angeli sancti, in ærumnis, & laboribus peregrinatur. Non ideo tamen putare debent stulti, qui nolunt in melius commutari adoranda esse ista luminaria, quia ducitur ex eis aliquando similitudo ad divina mysteria figuranda. Ex omni enim creatura ducitur. Nec ideo in sententiam damnationis debemus irruere, quæ ore Apostolico de quibusdam profertur: qui coluerunt & servierunt creaturæ potius, quam creatori qui est benedictus in sæcula. Sicut enim non adoramus pecora, quamvis dictus sit Christus, & agnus, & vitulus: nec feram, quia dictus est leo de tribu Juda: nec lapidem, quia petra erat Christus: nec montem Sion, quia in ipso figuratur Ecclesia: Sic nec solem & lunam, quamvis ex ea celestis creatura, sicut ex multis terrestribus sacramentorum figure ad informationes mysticas sumantur. Quapropter (Manichæorum vel) Mathematicorum deliramenta cum detestatio- ne ridenda sunt. Quibus cum objecerimus vana commenta: unde homines in errorem præcipitant, quo prius præcipitari sunt, garruli sibi videntur, cum dicunt nobis: Cur & vos ex solis & lune computatione pascha celebratis: quasi nos ordines siderum, & vicissitudines temporum, à summo atque optimo Deo conditas arguamus: & non eorum pervertitatem, quæ rebus sapientissime conditis, ad stultitiæ suæ vanissimas opiniones abutitur? Nam & si Mathematicus nobis contradicatur est de sideribus & luminariis cæli ad sacramenta mystice figuranda similitudines ducere: contradicant & augures, ne dicatur nobis: Estote simplices sicut columbæ: Contradicant & Marci, ne dicatur nobis: Astuti sicut serpentes. Contradicant histriones, ne in psalmis citharam nominemus. At qui ex his rebus ad mysteria verborum Dei, similitudinum signa sumuntur: Dicant si placeat, vel auspiciis nos captare, vel venena conficere, vel theatricas affectare luxurias, quod demensissimum est dicere.

Non igitur nos de sole & luna annuis mensurisve temporibus actionum nostrarum eventa conjicimus, ne in vite humane periculosissimis tempestatibus, tanquam in scopulos miseræ servitutis illisi, à libero arbitrio naufragemus, sed ad rem sacratè significandam, similitudines aptas reli-

giosissima devotione suscipimus, sicut de cætera creatura, de ventis, de mari, de terra, de volatilibus, de piscibus, de pecoribus, de arboribus, de hominibus. Ad sermonem quidem multipliciter: ad celebrationem vero sacramentorum jam Christiana libertate parcissime: sicut de aqua, de frumento, de vino, de oleo. In servitute autem veteris populi multa etiam celebrari imperata sunt, quæ nobis tantummodo intelligenda traduntur. Non utique dies observabimus, & menses, & annos, & tempora: ne audiamus ab Apostolo: Timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vobis. Eos enim inculpat, qui dicunt: Non proficiat, quia posterus dies est: aut quia luna sic fertur: vel proficiat, ut prospere cedat, quia ita se habet positio siderum. Non agam hoc mense commercium, quia illa stella mihi facit mensuram, vel agam quia suscepit mensuram. Non plantam hoc anno vineam, quia bissextus est. Non autem quisquam sapiens arbitretur observatores temporum reprehendendos, qui dicunt: Non proficiat hodie, quia tempestas exorta est. Aut non nauigem, quia adhuc sunt hyberna reliquia. Aut tempus feminandi est, quia imbribus autumnalibus terra fatiata est. Vel si qui forte alii naturales effectus circa motus æris & humoris ad variandas temporum qualitates in siderum ordinatissima conversatione notati sunt: de quibus dictum est dum conderentur: Et sint in signis, & in temporibus, & in diebus, & in annis. Si quæ autem figura similitudinum, non tantum de cælo & sideribus, sed etiam de creatura inferiore ducuntur ad dispensationem sacramentorum: eloquentia quædam est doctrinæ salutaris, movendo affectum discipulorum accommodata, à visibilibus ad invisibilia, à corporalibus ad spiritualia, à temporalibus ad æterna.

Nec quisquam vestrum attendat, quod eo tempore quo pascha celebramus sol in ariete est: sicut illi appellant quemdam siderum locum, ubi revera mens novorum invenitur sol: sed sive illi arietem, sive aliquid aliud eandem partem cæli vocare voluerint: nos de scripturis sanctis hoc didicimus, quod omnia sidera Deus condidit, & locis celestibus quibus voluit ordinavit: quæ stellis distincta & ordinata, in qualibet partes dividant, quibuslibet vocabulis vocent: ubicumque sol esset mense novorum, illic esse reperietur hæc celebratio: propter similitudinem sacramenti renovandæ vite, de qua factis supra differimus. Quod si etiam locus ille siderum aries possit vocari propter aliquam figuræ congruentiam: neque hujusmodi timeret sermo divinus aliquam sacramenti similitudinem ducere: sicut & de aliis non solum celestibus, sed etiam terrestribus creaturis: sicut de Orione, de Pleiadibus: sicut de monte Sina, de monte Sion: sicut de fluminibus quæ vocantur Geon, Phison, Tigris, Euphrates: sicut de ipso toties in sanctis mysteriis nobilitato fluvio Jordane, rerum figurate insinuandarum mysticas similitudines adduxit. Sed quantum interfit inter observationes siderum ad æreas qualitates accommodatas: sicut agricolæ, aut nautæ observant, aut ad notandas partes mundi cursumque aliquo & alicunde dirigendum, quod gubernatores navium faciunt, & hi qui per solitudines arenosas in interiora austris nulla certa semita gradiuntur, aut cum ad aliquid in doctrina utili figuratè significandum, sit nonnullorum siderum aliqua commemoratio.

Quantum ergo interfit inter has utilitates & vanitates hominum ob hoc observantium sidera, ut nec æris qualitates, nec regionum vias, nec solos temporum numeros, nec spiritualium similitudinem, sed quasi fatalia rerum eventa perquirant, quis non intelligat? Sed jam deinceps videamus: cur etiam id observetur cum pascha celebratur, ut sabbatum occurrat: Hoc enim proprium Christianæ religionis est. Nam Judæi tantummodo mensuram novorum, & lunam observant à quarta decima usque ad vicissimam primam. Sed quia illud eorum pascha quo passus est Dominus ita occurrit, ut inter mortem ejus, & resurrectionem medius esset sabbati dies: addendum patres nostri censuerunt, ut nostra festivitas à Judæorum festivitate distingueretur. Et quod non frustra factum esse credendum est, ab illo qui est ante tempora, & per quem facta sunt tempora, & qui venit in plenitudine temporum, & qui habebat potestatem ponendi animam suam, & iterum recipiendi eam: & ideo non fatalem, sed opportunam sacramento, quod commendare instituerat horam expectabat, cum diceret: Nondum venit hora mea.

Ut igitur anniversaria passionis ejus celebratione à poste-

ris servaretur: quod enim nunc, ut superius dixi, fide ac spe agimus, atque ut ad id perveniamus dilectione satagimus: requies quædam ab omni labore omnium molestiarum sancta atque perpetua est: In eam nobis ex hac vita fit transitus, quem Dominus noster Jesus Christus sua passione demonstrare & consecrare dignatus est. In est autem in illa requie non desidiola segnitia, sed quædam ineffabilis tranquillitas actionis otiosæ. Sic enim ab hujus vite operibus in fine requiescit: ut in alterius vite actione gaudeatur. Sed quia talis actio in Dei laude agitur, sine labore membrorum, sine angore curarum, non ad eam sic transitur per quietem, ut ipse labor succedat, id est, non sic esse incipiat actio, ut esse desinat quiete. Neque enim reditur ad curas & labores, sed permanet in actione: & quod ad quietem pertinet, nec in opere laboratur, nec in cogitatione fluctuat. Quia ergo per requiem ad primam vitam reditur, unde anima lapsa est in peccatum, propterea sabbato requies significatur. Illa autem prima vita quæ de peregrinatione reduntibus & primam stolam accipientibus redditur, per unam sabbati, quem diem dominicum dicimus figuratur. Quare septem dies Genesim legens, invenies septimum sine vespera, quia requiem sine fine significat.

Prima ergo vita non fuit sempiterna requies peccanti. Requies autem ultima sempiterna est, ac per hoc & octavus sempiternam beatitudinem habebit: quia requies illa quæ requies sempiterna est, excipitur ab octavo non extinguitur. Neque enim esset aliter sempiterna. Ita ergo erit octavus qui primus, ut prima vita non tollatur, sed æterna reddatur. Sabbatum tamen commendatum est priori populo in otio corporali temporaliter celebrandum, ut figura esset sanctificationis in requiem Spiritus sancti. Nusquam enim legitur in Genesi sanctificationem per omnes superiores dies: sed de solo sabbato dictum est: Et sanctificavit Dominus diem septimum. Amant enim requiem sive pie animæ, sive ini- quæ. Sed an perveniant ad id quod amant plurimum, nesciunt: nec aliquid aliud appetunt etiam ipsa corpora ponderibus suis, nisi quiescere à motibus suis. Nam sicut corpus tam diu nititur pondere, sive deorsum, sive sursum versum, donec ad locum quo nititur veniens conquiescat. Pondus quippe olei si mittatur in aere, deorsum: si autem sub aquis, sursum nititur: sic animæ ad ea quæ amant propterea nituntur, ut perveniendo requiescant. Et multa quidem per corpus delectant, sed non est in eis æterna requies, nec saltem diuturna. Et propterea magis sordidant animam & aggravant potius, ut sincerum ejus pondus, quo in superna fertur impediatur. Cum vero anima se ipsa delectatur, nondum re incommutabili delectatur: & ideo adhuc superba est, quia se pro summo habet, cum superior sit Deus: nec in tali peccato impunita relinquitur, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Cum autem Deo delectatur, ibi veram, certam, æternam invenit requiem, quam in aliis quærebat, nec inveniebat. Proinde admonetur in psalmo: Delectare in Domino, & dabit tibi petitionem cordis tui. Quia ergo charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis: ideo sanctificatio in septimo die commemorata est, ubi requies commendatur. Quia vero nec bene operari possumus, nisi dono ejus adjuti, sicut Apostolus dicit: Deus enim est qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate: nec agere, nec requiescere poterimus post omnia bona opera nostra, quæ in hac vita gerimus, nisi ejus dono ad æternitatem sanctificati atque perfecti. Propterea de ipso Deo dicitur: Cum fecisset omnia opera valde bona, septimo die requievit ab omnibus operibus suis quæ fecit. Futuram enim requiem significabat, quam post bona opera daturus erat nobis hominibus. Sicut enim cum bene operamur ipse dicitur operari in nobis cujus munere operamur: ita cum requiescimus ipse requiescere dicitur quo donante requiescimus.

Hinc est quod etiam in tribus primis præceptis decalogi, quæ ad Deum pertinent: cætera enim septem ad proximum pertinent: id est, ad hominem, quia in duobus præceptis tota lex pendet: tertium ubi de observatione sabbati positum est: ut in primo præcepto patrem intelligamus: ubi prohibetur coli aliqua in figmentis hominum Dei similitudo: non quia non habet imaginem Deum: sed quia nulla imago ejus coli debet, nisi illa quæ hoc est quod ipse, nec ipsa pro illo, sed cum illo. Et quia creatura est mutabilis, ac propterea dicitur: Omnis creatura vanitati subiecta est, quoniam na-

tura universi etiam in parte demonstratur: ne quisquam huiusmodi Dei verbum, per quod facta sunt omnia, ideo putaret esse creaturam: sequitur aliud præceptum. Non accipies in vanum nomen Dei tui. Spiritus autem sanctus, in quo nobis requies illa tribuitur, quam ubique amamus, sed nisi Deum amando, non inveniemus: cum charitas Dei diffundatur in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Quia ergo sanctificavit Deus diem septimum, in quo requievit: tertio præcepto legis insinuat, quod scriptum est de observatione sabbati: non ut jam in ista vita nos requiescere existimemus: sed ut omnia quæ bene operamur, non habeant intentionem, nisi in futuram requiem sempiternam.

Memento enim maxime quod jam supra commemoravi, quia spe salvi facti sumus: spes enim quæ videtur, non est spes: ad ipsum autem ignem amoris nutriendum & flammandum quodammodo, quo tanquam pondere sursum vel introrsum referamur ad requiem, hæc omnia pertinent, quæ insinuantur nobis figurate. Plus enim movent & accendunt amorem, quam si nuda & sine ullis sacramentorum similitudinibus ponerentur. Cujus rei causam difficile est dicere: Sed tamen ita se habet: ut aliquid per allegoricam significationem intinatum, plus moveat, plus delectet, plus honoretur, quam si verbis propriis diceretur aperissime. Credo quod ipse animæ motus, quando rebus adhuc terrenis implicatur, pigrius inflammatur: si vero feratur ad similitudines corporales, & inde feratur ad spiritualia, quæ illis similitudinibus figurantur: ipso quasi transitu vegetatur, & tanquam in facula ignis agitatus accenditur: & ardentiore dilectione rapitur ad requiem & quietem. Ideoque inter omnia illa decem præcepta, solum ibi quod de sabbato positum est, figuratè observandum præcipitur: quam figuram nos intelligendam, non etiam per otium corporale celebrandum suscipimus. Cum enim sabbato significetur spiritualis requies, de qua dictum est in psalmo: Vacate & videte, quoniam ego sum Deus: & qua vocantur homines ab ipso Domino dicente: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos reficiam. Tollite jugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris. Cætera tamen ibi præcepta, proprie, sicut præcepta sunt, sine ulla figurata significatione observamus. Nam & idola non eoere manifeste didicimus, & non accipere in vanum nomen Domini Dei nostri: & honorare patrem & matrem, & non mæchari, non occidere, non furari, non falsum testimonium dicere, (non concupiscere uxorem proximi,) non concupiscere ullam rem proximi: non enim figuratè aliud prætendunt, & mystice aliud significant, sed sic observantur ut sonant.

Observare tamen diem sabbati non ad literam jubemur, secundum otium ab opere corporali, sicut observant Judæi. Et ipsa eorum observatio, quia ita præcepta est, nisi aliam quandam spiritualem requiem significet, ridenda judicatur. Unde non inconvenienter intelligimus ad amorem excitandum, quo ad requiem tendimus, valere omnia quæ figurate in scripturis dicuntur: quandoquidem non hoc solum in decalogo figuratè præcipitur, ubi requies commendatur, quæ ubique amatur: sed in solo Deo certa & sancta invenitur. Dies autem dominicus non Judæis, sed Christianis resurrectione Domini declaratus est: & ex illo habere cepit festivitatem suam. Anima quippe omnium sanctorum ante resurrectionem corporis sunt quidem in requie: sed in ea non sunt actione qua corpora recepta vegetantur. Talem quippe actionem significat dies octavus, qui & primus, quia non aufert illam requiem, sed glorificat. Non enim redit cum corpore difficultas ex corpore: quia nec corruptio. Oportet enim corruptibile hoc indui incorruptionem & mortale hoc indui immortalitatem.

Qua propter ante resurrectionem Domini, quamvis sanctos patres plenus spiritu prophetico octavæ sacramentum nequaquam lateret, qua significatur resurrectio. Nam & pro octava psalmus inscribitur: & octavo die circumcidebantur infantes: Et in Ecclesiaste, ad duorum testamentorum significationem dicitur: Illis septem & illis octo reservatum est: tamen illis est occultatum, & solum celebrandum sabbatum traditum est: quia erat antea requies mortuorum: resurrectio autem nullius erat, donec veniret Christus, qui resurgens ex mortuis, jam non moretur, & mors illi ultra non dominaretur. Sed postquam facta est talis resurrectio in